Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Pars Nova Adparatus Librarii V. C. M. Pauli Georgii Krüsike ... : Qua Theologi, Iuris Consulti, Medici, ... ; Adiectaque Simul Classis Incompactorum Adpendice, Exhibentur, Et Charta Hac Indice Venales Exponuntur In Aedibus Sacerdotalibus Petrinis, ... A. M D CC XXXI Die V. Febr. Et Seqq

Hamburgi: Brandius, [1731]

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn816550131

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Phil. 588.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn816550131/phys_0001
DFG

Ded. Pr. 1847 O. G. Ty
Altered 1755

B. c — 3125.

n: 121.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn816550131/phys_0002
DFG

PARS NOVA ADPARATVS LIBRARII V. C. M. PAVLI GEORGII Krüſike,

SLESVICENSIS,
IOANNEI HAMBVRGENSIVM QVONDAM
CON-RECTORIS,
NVNC PIAE MEMORIAE,
QVA

THEOLOGI, IVRIS CONSVLTI, MEDICI, PHILOSOPHI, HISTORICI, CETERIQVE, QVI AD CRITICOS ET LITTERATORES VEL VNIVERSE VEL SIGILLATIM REFERRI POSSVNT, VARIO LINGVARVM GENERE EXPRESSI,

ORDINE CVM CVRA INSTITVTO,

ADIECTAQVE SIMVL CLASSIS INCOMPACTORVM ADPENDICE, EXHIBENTVR,

ET CHARTA HAC INDICE VENALES EXPONVNTVR

IN AEDIBVS SACERDOTALIBVS PETRINIS,
IN PLATEA, CVI A FABRIS FERRARIIS NOMEN EST, SITIS,
VVLGO in dem Petriniſchen Prediger-Hauſe,
an der Ecke von der Schmiede-Straße,
A. cIↃ IↃ cc XXXI DIE V. FEBR. ET SEQQ.

PRAEMITTITVR

M. IO. CHRISTOPH. Krüſike, V. D. M.

HEPTAS LIBRARIA,
INDICEM SCRIPTORVM COMPLEXA, QVI DE LIBRIS, ILLORVMQVE SCRIPTIONE, LECTIONE, CENSIONE, ABVSV, FATIS ATQVE POENIS VEL DATA OPERA VEL PER TRANSENNAM COMMENTATI SVNT, AVT IN ADFECTIS NONNULLA HABVERVNT.

HAMBVRGI,
SVMPTIBVS CHR. WILH. BRANDII.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn816550131/phys_0005
DFG

NOBILISSIMO, AMPLISSIMO
ATQVE CONSVLTISSIMO
VIRO,
IOANNI CONRADO LANGIO,
NORIMBERGENSI,
I. V. L.
FAVTORI AESTIMATISSIMO,

S. P. D.

IO. CHRISTOPH. Kruſike.

Quas cernis tenues, VIR Conſultiſsime, chartas,
In *ludi* natus puluere mittit amor. a.)
Ille reuiuiſcens *ſeptem* poſt *luſtra* b.) Camoenis
Haec memori voluit ſcribere mente Tuis.

† 2 Scilicet

a.) *Philippus Melanchthon* nullam amicitiam firmiorem eſſe dixit, quam quae in ſcholis paratur. Hinc *Quinctilianus* Declamat. IX. Iunxerat nos potentisſimus ille amor puerilis.

b.) Nimirum ab A. 1695. usque ad A. 1702, et in priuatis B. Parentis ſcholis et in Gymnaſio Hamburgenſi communibus ſtudiis operam dare contigit.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn816550131/phys_0007
DFG

Scilicet hic dulces repetamus uterque *Iuventae*
Delicias, ſtreperis otia grata *ſcholis*.
Temporis o liceat luſus reuocare *prioris*,
Et tangat *Iuvenis* lenior aura *Virum*.
Eminus intentis miremur vultibus *acta*
Saecula et emenſos per ſua fata gradus.
Non una eſt ratio; nam ſeu iuvet *aera reducta*,
Vnanimes plauſus hic pia metra volunt.
Seu redeant *curae veteres*, hic pasſibus *aequis*
Ducimur ad Latii iugera prima ſoli.
Seu placeat *probitas* externo cognita geſtu,
Hic quoque candoris *mutua* ſigna patent.
Sic *aetas*, c.) *ſtudium*, d.) *mores*, e.) poſt tempora longa
Inter *amicitiae* vincula firma vigent.

Vnus

c.) Propterea recte *Cornelius Gallus* cecinit: Par aetas animos conciliare ſolet. In eandem fere ſententiam diſſerit *Ariſtoteles* Lib. IIX. Ethic. Cap. XII. ubi magnum ad amicitiam momentum eſſe iudicat, una educatos et aequales eſſe.

d.) Ita *Plutarchus* de adulatoris et amici diſcrimine, τὸ μάλιστα φιλίας ἀρχὴν συνέχον καὶ συνιστᾶνον ὁμοιότητα ἐπιτηδευμάτων καὶ ἠθῶν dixit; et *Plinius* Iunior Suetonium Tranquillum ob mores et ſtudia in contubernium adſumpſit. Vid. Eiusd. Epp. Lib. X. Epiſt. XCV.

Vnus opes doctas *Librorum* cultus adauget,
Ex hoc *communes* fonte bibuntur aquae. f.)
Quid loquor? errantes retraho per deuia Musas,
Nunc *diuersa* vocat *scena* decetque *Viros*.
TV Tabulas, TV Iura doces firmata *Quiritum*,
Foenoris hinc *Macedo* nomina turpis habet. g.)
At me sacra suis operari fortiter Aris
Eusebie et coeli facta referre iubet.
Semita sic teritur multo *distincta* labore

e.) Ad connectendas amicitias, vel tenacissimum vinculum *morum* esse similitudinem, recte docet *Plinius* Lib. IV. Epist. XV. et *Cicero* pro Cluentio Cap. 16. Idem *Cicero* Lib. I. de Officiis illam amicitiam iucundissimam dixit, quam similitudo morum coniunxit. Gemina his sunt, quae *Aemilius Probus* in Pomponio Attico pronunciat, plus in amicitia valere similitudinem morum, quam adfinitatem. Hinc recte *Procopius* Epist. II. iudicavit: Τοῖς ἀγαθοῖς τῶν ἀνδρῶν ἀρκεῖ εἰς σύστασιν φιλίας ὁ τρόπος. Conf. *Quinctilianus* Declamat. CCCVII. Add. *Lipsius* in Manud. ad Philos. Stoic. Lib. III. Diss. XVI.

f.) Ita *Thom. Bartholinus de legendis Libris*. p. m. 5. Sine Libris Deus iam silet, iustitia quiescit, torpescit medicina, philosophia manca est, literae mutae.

g.) Cl. LANGIVS noster A. 1717. in Illustri Viadrina Dissertationem de *SCto Macedoniano* pro summis in Iure Honoribus obtinendis habuit.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn816550131/phys_0009
DFG

Et *varium* ad collem noſter anhelat equus.
Interea *priſcas* labor idem colligat herbas,
Inſtruat et folii LANGIA Fama h.) decus.

Iam

h.) De LANGIIS doctrina meritisque illuſtribus meſſis amplisſima inſtitui facile poſſet. Nos Spicilegium trium Decadum hic dabimus, primas lineas ex Eruditorum Lexico atque Freheri Theatro cumprimis ducturi. Sunt autem obvii nobis facti inter THEOLOGOS *ABRAHAMVS*. vid. Gelehrten Lexicon, P. I. pag. 1502 *CHRISTIANVS*. vid. Gelehrten Lexicon, l. c. Add. Paul. Freheri Theatr. Viror. Erudit. P. I. Sect. III. p. 597. ſ. Henn. Wittenii Memor. Theolog. p. 1233. ſeqq. et Geſchichts-Calender der Leipziger Superintendenten. *DANIEL*. v. D. G. H. Goetzii Elogia Theologor. German. N. 19. p. 150 -- 157. *Alius* eiusdem praenominis. vid. Gelehrt. Lexic. l. c. *GEORGIVS CHRISTOPHORVS*. v. Gelehrt. Lexic. P. I. p. 1503. *IOACHIMVS*. Catalogum ſcriptorum illius vid. in Eiusd. Inſtitt. Studii Theol. Litterar. Adpend. p. 790 -- 803. Effigies Eius praemittitur der Neuen Bibliothec, 55ſtem Stücke. *IOANNES*, ad quem Lutherus ſcripſit. Vid. Cl. Io. Alb. Fabricii Centifol. Lutheran. P. I. Cap. 75. p. 225. *IOANNES*, Cl. LANGII Noſtri Parens. Nomen Eius inter Oratores ſacros Hamburgenſes repetit V. C. *Io. Alb. Fabricius* in *Memor. Hamburg. Vol. II. pag. 868.* Famam optimi Viri a *Cl. Io. Georg. Walchio* in der *Hiſtoriſchen und Theologiſchen Einleitung, Cap. V. pag. 662.* non ſine partium ſtudio laeſam nuper fuiſſe, aegre omnino ferimus. *IOANNES CHRISTIANVS*. vid. Act. Erud. 1708. pag. 528. ſqq. et Sammlung von A. u. N. 1728. p. 900. it. Vener. Io. Fabri-

Iam *Famae* satis est, Titulos exhausimus omnes,

Si

Fabricius in Histor. Biblioth. Fabricianae, P.V. p. 105. *IOANNES IACOBVS.* vid. Gelehrt. Lexic. P. I. p. 1503. et plenius in Lud. Melch. Fischlini Memor. Theolog. Wirtenberg. p. 359 -- 371. *IO. MICHAEL.* De Eius Vita et Scriptis vid. Gustav. Georg. Zeltneri Vitae Theolog. Altorph. p. 468 -- 488. Prostat Effigies Eius in Frid. Roth-Scholtzii Iconibus Eruditor. Acad. Altdorf. *MATTHAEVS*, S. R. E. Card. v. Freheri Theatr. P. I. Sect. II. pag. 29. *MATTHIAS.* Vid. Sammlung von A. und N. 1728. p. 1255. N. 19. *PAVLVS.* v. Gelehrt. Lexic. P. I. p. 1504. *SAMVEL*, *christiani* supra memorati Filius natu maximus v. Gelehrt. Lexic. P. I. p. 1502. Add. Frehertus in Theatr. P. I. Sect. III. p. 672. sq. et Geschichts-Calender Leipziger Superintendenten. De incendio eius Bibliothecae vid. Chr. Frid. Schindleri Diss. Epist. de Theologis eruditis per ignem pag. 23. 24. Ex IVRE CONSVLTIS celebres sunt LANGII sequentes: *ANDREAS.* v. Gelehrt. Lexic. P. I. p. 1499. et uberius V. C. Io. Henr. a Seelen, Fautor noster, in Athen. Lubecens. Vol. III. p. 49 -- 78. unde memoriam Viri huius nuper repetiit Io. Phil. Schmidius in Sched. Hist. Liter. de pietate et scriptis Theologicis ICtorum. §. 88 pag. 104 -- 113. *CHRISTOPHORVS.* v. Freheri Theatr. P. II. Sect. IV. p. 1188. sq. *IOANNES.* vid. Gelehrt. Lexic. P. I. p. 1503. Add. Freheri Theatr. P. II. Sect. IV. p. 825. sq. et nuperrime Io. Phil. Schmidius in Schediasm. cit. p. 113. 114. qui tamen in adlegando Frehero Ioannem ICtum cum Ioanne Medico confundere videtur. *NICOLAVS.* vid. Gelehrt. Lexic. P. I. p. 1503. Add. Freheri Theatr. P. II. Sect. IV. p. 1100. In Classe MEDICORVM comparent *BERNARDVS*, vid. de

illo

Si Tuus incomptum *calculus* ornat opus.

illo Io. Casp. Eberti Leorinum eruditum, pag. 30. N. 39. *CHRISTIANVS, Christiani* Theologi Filius natu secundus. v. Gelehrt. Lexic. P. I. p. 1502. Add. Henn. Wittenii Memor. Medic. p. 215 -- 222. Freheri Theatr. P. III. p. 1392. sq. et Giornale de Letterati, A. 1689. p. 157. *CHRISTIANVS IOANNES*, Samuelis Theologi Filius. v. Gelehrt. Lexic. P. I. p. 1503. *IOANNES*. v. Gelehrt. Lexic. l. c. Vitam et scripta huius Viri plenius lege in Freheri Theatro, P. III p. 1257. s Plenissime omnium vero in Vergnügung müssiger Stunden, IIX. Theil, N. IV. p. 59 -- 78. Conser citatos ibidem Auctores. Add. Melch. Adami Vitae, pag. 140. Io. Henr. Boeclerus de Rebus Sec. XVI. edit. I. B. Maii, Kil. 1697. 8. pag. 604. *IOANNES CHRISTIANVS*. v. A. E. 1704. p. 282. Nov. Liter. Germ. 1704. p. 176. Inter PHILOSOPHOS, HISTORICOS, LITTERATORES nomen merentur *CAROLVS*. v. Gelehrt. Lexic. P. I. p. 1502. Add. Aub. Miraei Elog. Belg. Franc. Sweertius in Athen. Belgic. Aug. Thuanus, Lib. LVI. fin. Andr. Schottus in Vita Langii. Freherus in Theatro, P. IV. p. 1468. *CAROLVS HENRICVS*, cuius scripta recenset laudatus a Seelen in Diss. de Dictis Poëtarum in N. T. citatis, p. 15. s. *GODOFREDVS*, Philos. Lipsi. vid. Ephemerides passim. *GVILELMVS*, Mathematicus. v. Gelehrt. Lexic. P. I. p. 1499. *IOSEPHVS*. v. Gelehrt. Lexic. P. I. p. 1503. Add. D. Io. Schmidii Iubil. Argent. p. 281. *RVDOLPHVS*. v. Gelehrt. Lexic. P. I. pag. 1504. Melch. Adami Vitae. David Chytraeus in Saxonia, pag. 75. 80. 81. it. Herm. Hamelmanni Opp. Histor. pag. 97. sq. 261. q. Boeclerus, l. c. p. 287.

LECTO-

LECTORI
REI LIBRARIAE STVDIOSO
S. P. D.
IO. CHRISTOPH. Krüſike.

Qui ad Rei librariae adyta admiſus es, LECTOR beneuole, quum tribus ab hinc annis pars quaedam doctae ſupellectilis *B. PARENTIS* noſtri haſtae ſubiiceretur, eaque occaſione de BIBLIOTHECIS tunc nonnulla praefaremur; iam penitius in haec Muſarum ſacraria introducendus eris. Quae dum agimus, haudquaquam inconditos illorum mores exprimere iuvat, qui in *externa Codicis forma* haerere, Librique inſcriptionem ex dorſo potius, quam ex fronte diſcere malunt, curis hiſce leuiſſimis memoriae ſubſidium, quod ſufficiat, paraturi. Ineptum hoc ſpectatorum otioſiſſimorum genus eleganter nonnemo *pueris* comparauit, quibus per totam noctem lampades ardent, ſed parum aduigilant. Nec male iidem *gibboſis* adſimilantur, qui gibbi onus, quod in tergo geſtant, nunquam intuentur: Et adclamare his iure poſſis; Quid

 cum

cum fidibus graculo? vel Epicharmi illud apud Stobaeum: Τὶς τυφλῷ καὶ κατόπτρῳ κοινωνία; a.) Cum primis vero homines isti bonis litteris plerumque nocent, quod vel *tineis* in otio habitaculum ponant, b.) vel *canem* in praesepi imitentur, qui, quum hordeo non vescatur, equum tamen volentem pasci haud sinit. c.) Non melior in *Arabes* incedit religio, apud quos singularis Librorum cultus est, quo Librum *illotis manibus* attingere, aut pedem super eum extendere, aut illum, ex quo discunt, aliis libris imponere, nefas esse ducunt, & *Huluanum* quendam eam ob caussam tantam sibi eruditionem comparasse aiunt, quod nunquam librum in manus illotas sumpserit. d.) Ad Arabes iure suo relegandos quoque puto illos, qui vel non-

a.) Conf. *Guil. Saldenus* de *Libris*; Lib. I. Cap. IIX. §. I. p. 219-223. ubi plura leges, quae huc faciunt.

b.) Vid. *Lucianus* in Dialogo aduersus ἀπαίδευτον καὶ πολλὰ βιβλία ὠνούμενον, quem infra suo loco collocabimus. Add. *Isidorus Pelusiota*, Lib. I. Epist. 127. Conf. Epist. 399. Spectat quoque huc elegans *Ausonii* Epigramma XLIV. Vid. *Saldenus* l. c.

c.) *Lucianus*, in Dialog. cit.

d.) Vid. *Borhaneddini Alzernouchi Enchiridion Studiosi*, Arabice conscriptum, cum versione duplici Latina Frid. Rostgaard & Abrah. Ecchellensis; ex edit. Hadr. Relandi. Traj. ad Rhen. 1709. 12mo. p. 49. Conf. *Acta Erudit. Lips.* A. 1710. Mens. April. pag. 153.

nonnisi de *externo nitore*, Libris conciliato, iudicium ferre norunt, bibliopolarum forte primicerii; e.) vel in *situ* ac puluere Librorum abstergendo, aut tollendis *aranearum telis* occupati, Codicem ab iniuria satis se vindicasse opinantur, ab Herculeo hoc labore laureolam, si Diis placet, exspectantes. Verum poenae his satis esto, si propriae inscitiae testes adsint. Nimirum, ut, qui in armario uniuersum rei bellicae adparatum iusto ordine collocatum videt, res loci tran-

 quillas

e.) Ita *Erasmus Roterodamus* facete olim de *Episcopo quodam* sensit, qui Libri cuiusdam Dedicationem numulis aliquot, in ligaturam exempli oblati impensis, remunerabatur. Vid. *Monatl. Auszüge, A. 1700. p. 25. not. r.*) Add. *Vergnügung müssiger Stunden, IX. Theil, Obs. I. p. 13.* Spectant et huc monita *Rol. Maresii* in *Epp. Philolog. Lib. I. Ep. XXXIV. ad Guid. Patinum, p. 150. ed. Lips.* Non „ me valde adficiunt ornamenta, nec magnopere cu- „ ro, ut volumina pellibus pretiosissimis et nitidis- „ simis, etiam magna ex parte unicoloribus vestian- „ tur, aliisque rebus exornentur, qvae cornuum, „ umbilicorum et bullarum vice sint, qvae antiqui- „ tas usurpauit, quod equidem non culpo in opu- „ lentis et principibus Viris, qui ad pompam et „ ostentationem omnia fere agunt, et libros non in „ studium, sed in spectaculum, ut ait Seneca, com- „ parant, etc.“ Adde qvae itidem de Librorum „ externo nitore monet *Jo. Ad. Bernhard in der curieusen Historie der Gelehrten Lib. III. sect. VII. Cap. IX. p. 585.* Hinc recte *D. G. Morhofius in Polyhist. Literar. Lib. I. Cap. IV. §. 30. p. 36. Librorum nitorem nimium possessori pudorem excutere* adfirmat.

quillas esse recte credit; ita ex superstitioso intactae supellectilis librariae f.) cultu inducias cum Musis factas nemo non coniiciet. Absit tamen, in his ut patrocinium suscipiamus sordidi moris illorum, quorum docta armaria stabula potius aut haras dixeris, de quibus iustae aliorum censurae dudum prostant. g.) Vitia utique notamus, quibus in Libros vel admodum nimis, vel minus satis peccatur. Atque hic tandem, quod praecipui est momenti,

f.) Gemina his sunt ingeniose dicta *Legati cuiusdam Galli*, qvi Bibliothecarum Hispanicarum Praefectos negligentiae accusaturus, felicem fore Hispaniam adseruit, si illic numorum thesauri eadem manuum puritate ac fide, qua librarii adparatus, conseruatentur. Vid. *S. S. Verzeichnis einiger rarer Bücher, I. Stück. Praefat. pag. 19.* His adscribi omnino merentur illa *Erasmi Roterodami Epp. Lib. XXXI. Ep. 29. p. 1996. c. edit. Lond. 1642. „fol.* Non hi mihi Libros amare videntur, qui eos „*intactos* ac scriniis abditos seruant, sed, qui nocturna iuxta ac diurna contrectatione sordidant, corrugant, conterunt, qui margines passim notulis, hisque variis, oblinunt, qui mendi rasi vestigium, quam mendosam compositionem malunt. Hinc *Seb. Brant*, in Libro, sub Titulo *Nauis Stultiferae* edito, inter alia Num. VII. illos cum primis reprehendit, qui multis Libris ceu mole laborant, et usu eorum plane sunt destituti.

g.) *De sordidis hisce Museis* vid. *M. Frid. Ern. Schulze* Dissert. de Eruditis sine moribus. Lipsi. 1705. 4to. Add. *Georg. Henr. Goetzii* Museum Eruditi §. 15. p. 16. Conf. *Io. Ad. Bernhard* curieuse Historie der Gelehrten, Lib. III. P. I. Cap. XVII. pag. 234.

menti, haud magis ferendi sunt, qui veterno forte excusso, Librum, quod Dii bene vertant, duobus digitis volvunt, ex eodem, tanquam canis ex Nilo, scientias labris fugientibus deguſtant, h.) atque ex *Titulo*, oscitanter inspecto, ex *Praefatione*, perfunctorie lecta, atque *Indice*, cursim peruoluto, egregias doctrinae opes a se congestas esse, misere gloriantur. i.) Ne de iis dicamus, qui cornicum oculos configere, atque ex solis *Diariis* et *Miscellaneorum* compilatoribus de Libris, quorum ipsa copia nunquam obtigit, sententiam ferre minime erubescunt. k.)

h.) Spectat huc *Rol. Maresii* Epist. ad Ludou. Nublaeum perscripta, *aduersus multarum artium scientiarumque auidos et desultoria lectione quaelibet variorum Auctorum Volumina delibantes.* Prostat inter Eius *Epp. Philolog. Lib. I. Epist. XIV. p. 56-59. edit. Lipsi. in 12mo.* Contra lectionem perfunctoriam vide etiam, quae monent *Bohusl. Balbinus in Verisimil. human. disciplin. Cap. IV. pag. 37. Laur. le Brun Instit. Christ. Iuvent. P. II. Cap. IV. p. 99.* et *Dan. Pareus in Rhetor. pag. 310.* Conf. infra not. cc.) dd.)

i.) Cum primis faciunt huc illa *Thom Bartholini, Diss. VI. de legend. libris, p. m. 192.* ubi obseruat, negligentiores, neglecta Librorum lectione, ad *Indices* confugere, et imperitos, ut inclarescant, ex *Indicibus* opera sua exstruere.

k.) Confer hic *M. Io. Christ. Ernesti* Dispp. II. de *incommodo, ex Literatis Ephemeridibus capiendo. Vitemb. 1716. 4to.* et Monita egregia *V. C. Chr. Aug Hem*

Propiores tangunt curae illos, qui ultra vulgus ſapere et nomen aliquod in orbe erudito tueri ſatagunt. Hos in Libro verſando recte occupatos eſſe, ad rerum argumenta cum cura attendere et in iis oculos unice defixos habere decet. Etenim Libri *inſtrumenta* et *fontes* ſunt Eruditionis, *Plutarcho* teſte, l.) et inſignis eſt Librorum in quouis ſtudiorum genere notitia. m.) Sine hoc *vomere* omnis doctrinae fundus fruſtra vertitur; hoc

Heumanni in Conſp. Reip. Literar. Cap. VI. §. IIX. et IX. p. 150. ſeqq. edit. noviſſ. et *Anonymi l'Eſprit des Iournaus, oder Vnpartheiiſche Gedancken über die ſo häuffig edirten und ietzo aufs höchſte geſtiegene Iournale, durch welche derſelben Betrug gebührend entdecket, der Nutzen und Schaden, ſo ſie bringen, erwogen, und ob ſie in wohlbeſtalten Republiquen zu dulden, kürtzlich unterſuchet wird. Berlin, 1716. 8vo.* Add. *Praefatio*, von dem Zuſtande der allzugroſſen Liebhaber der Hiſtoriae Literariae, vornemlich der Iournale, praemiſſa *Parti XIII. der aufrichtigen und unpartheiiſchen Gedancken über die Iournale, p. 3-10.* Conf. infr. not. bb.)

l.) Ὄργανον τῆς παιδείας ἡ χρήσις τῶν βιβλίων, καὶ ἀπὸ πηγῆς τὴν ὄπωρὴν ζητεῖν συμβέβηκεν. *Plutarchus* περὶ παίδων ἀγωγῆς, κεφ. κ. edit. Weſthuſii.

m.) Exacta Librorum cognitione maximam Eruditionis partem contineri, dudum obſeruarunt Viri doctiſſimi, *Meibomius, Reygerus, Thurmannus* aliique. Vid. *Aufgefangene Briefe; dritte Rauage, fünftes Pacquet. Ep. 387. p. 480. 481.* Vtramque ve-

ro

hoc *clauo* destitutus, ad portum nemo perueniet. Nec vero valent in Fastis Litterariis Ἀβίβλων n.) nomina, quae ut rara admodum sunt, ita in exemplum difficulter trahuntur: Quin plura sunt aliorum pericula, quae cautos hic nos reddant, ne in eundem scopulum impingentes, turpi facto naufragio, *ignorantiae* poenas luamus. o.) Equidem doctrinam

ro hic facit paginam *Rich. de Buri Philobiblion s. Liber de amore Librorum*, curis Schmidianis recusus, praesertim Cap. I. quod est de *commendatione Sapientiae et Librorum, in quibus Sapientia habitat.* Spectat huc πολυθρύλλητον illud: Haurit aquam cribro, qui discere vult sine Libro. Et in controversia adhuc est; utrum maiorem incurrat censuram, *Doctor sine Libris*, an *Libri sine Doctore.* Conf. *Saldenus de Libris, Lib. I Cap. IIX. p. 219.* Adde Locum ex *Bartholino* supra in *Dedicat. not. f.*) Nonnulla quoque de utilitate et necessitate Librorum in artibus atque scientiis addiscendis lege commentantem V. C. *Chr. Thomasium*, in denen *kleinen Teutschen Schrifften, No. VII. pag. 354 Edit. tertiae, Hal. 1721. 8vo.*

n.) Conlegit illa *M. Henr. Bonickius* integra Dissert. de Ἀβίβλοις s. *Eruditis sine Libris.* Lipsi. 1693. 4to. Adde, quae contra hos monet V. C. *Gottlob Stollius in der Anleitung zur Historie der Gelahrheit, in Praelimin. §. V. not. e.*) *pag. 4.* ubi *Cartesii* et *W. de Britaine* factum notat. Idem adversus *Huttenium* atque *Poiretum* urget *M. Io. Chr. Kochius in Schediasmate de ordinanda Bibliotheca p. 103.* Conf. *Vergnügung müssiger Stunden, XII. Theil, Observ. I. §. 4.*

o.) *De turpi circa Auctores ignorantia* peculiari Program-

intra Voluminum carceres non contineri, nec omnem sapientiam in detritis chartarum latibulis p.) quaerendam esse nouimus, quanquam multos diuersa sententia in errorem omni tempore praecipites dederit, quos tamen otio atque ingenio abuti nemo negabit, unde

grammate *D. Io. Frid. Mayerus*, ὁ πάνυ, Praeceptor post fata colendus egit, Hamburgi, A. 1700. 4to. Huic plura subinde exempla subiungere licebit, si conferes, quae V. C. *Iac Frid. Reimmannus* im *Versuch einer Einleitung in die Historiam Literariam, so wohl insgemein, als auch der Teutschen insonderheit, Lib. I. Sect. II. pag. 133. seqq. et pag. 162.* adnotauit. Adde *Maruillium* et *Mollerum*, ibidem citatos. Lege quoque nonnulla im *Ausführlichen Bericht von neuen Büchern*, VII. Stück. N. II. pag. 666 Add. not. gg) ibid. Item, in der *Bücher-Historie*, Part. I. pag. 144. et apud *Mich. Lilienthalium* in *Selectis Histor. et Literar. Observ. X. pag. 315-382.* qua de Solocismo Literario agit, ubi tamen Reimmannus ipse ex Molleri Epist. Apologet. (quae im *Ausführlichen Bericht P. VII. N. III. p. 702.* prostat.) notatur §. XXIV. p. 370. 371. qvod patriam Iac. Sannazarii, Parthenopaei s. Neapolitani perperam pro Titulo Poematis de Partu Virginis habuerit. Adde, quae noviſſime de iisdem oscitantiae exemplis adfert M. *Io. Gottofr. Büchnerus* in Sched. Hist. Literar. de *Vitiorum, inter Eruditos occurrentium, Scriptoribus, Cap. II. Sect. I. §. II. pag. 76.* seqq. in notis, et quos ibi citat *Auctores.* Adde Supplementa, §. IIX. in notis, p. 24-26.

p.) Salse admodum nimios Antiquitatis cultores excipit Summus Vir *D. Io. Ad. Scherzerus* in *Praefat.* M. Salom. Stepneri Tractatui Hist. Theol. de Sacris Christianorum publicis et priuatis praemissa.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn816550131/phys_0020
DFG

de nec defuerunt, qui calamum in istos acuerent, et grande hoc praeiudicii vitium ex merito castigarent. q.) Certe liberioribus oculis intueri fas est uniuersum doctrinae

 cam-

q.) Probe *Erasmus Roterodamus* monet, *illos, qui in Libris et Disciplinis consenuerunt, ornandis publicis muneribus parum idoneos esse.* Vid. Eiusd. Epp. Lib. XXVII. Ep. 7. pag. 1500. f. edit. Lond. 1642. fol. Add. Lib. XXIIX. Ep. 16. ab init. pag. 1687. b. Conf. Vir πολυμαθὴς atq; *Casp. Henr. Starckius*, in Tract. de *Doctorum vita priuata*, Cap. III. §. XIV. pag. 124. ubi illos notat, *qui ita se abdunt literis, ut nihil ex his ad communem fructum et in publicam lucem adferant.* M. *Io. Gottofr. Büchnerus* in Sched. Hist. Literar. de *Vitiorum, inter Eruditos occurrentium, Scriptoribus, Cap. II. Sect. II. §. III in not. p. 148.* in illos itidem inuehitur, qui *Librorum euadunt helluones, ac, ut cochleae in testas, sic illi in Bibliothecas abditi et quasi compacti, sui ipsius aliorumque pene obliuiscuntur, et sic nullam inueniunt occasionem, qua intellectum voluntatemque imprimis rite emendare queant, quin potius ad maximam deueniunt philautiam ambitionemque et hac tandem ratione onerati magis, quam ornati euadunt.* Fontem vero huius mali non inepte idem Büchnerus deriuat ex *peruerso Eruditionis, quem multi fouent, conceptu, quasi ista multarum rerum inutilium solummodo farraginem et monstrosum insuper infinitae lectionis requireret promptuarium.* Hinc recte *Gusl. Saldenus* de *Libris*, Cap. IIX. pag. 210. docet, *solam supellectilem chartaceam nec erudire quenquam nec emendare.* Eruditionem a Libris non pendere monet quoque *Petr. Poiretus de Eruditione, Lib. III. §. XII. pag. 224.* edit. Amstel. Adde sis

Obser-

campum, qui primam quidem debet segetem Librorum auspiciis, sed his unice non efflorescit. Interim primordiis hisce suum locum adsertum volumus atque vindicatum. Et vero diuturna non fuisset sapientiae gloria, nisi litterarum monumentis conseruata fuisset; ut propterea absque Commentariis aliquid addiscere aut consignare perinde sit, ac sine alis volare velle, aut absque cortice, quod aiunt, natare. Opus utique est ordine et mediis, nec alia via ad scientiarum arcem fausto pede contendere licet.

In *Bibliothecis* itaque hactenus commorati, ipsam *Librorum*, cum *fructu* tractandorum, rationem nunc habebimus. Accipe in hunc finem *Libros,* LECTOR ingenue, et quaecunque in praesentes relata sunt tabulas, perlege, ingenio, iudicio, memoria, industria, varioque usu magis magisque a TE

Obseruatt. select. Halens. Tom. II. Obseruat. I. §. II. pag. 4. et §. VI. pag. 5. it. §. XIII. pag. 9. Gemina his sunt, qvae *Rol. Maresius* in Epist. ad Ioannem Fratrem monet, *doctos etiam paucorum Librorum lectione atque attenta meditatione rerum fieri.* Vid. Eiusd. *Epp. Philolog. Lib. I. Epist. IX. pag 30 - 33. edit. Lips.* Conf. de Eruditis, exiguo librorum adparatu instructis *Io. Ad. Bernhard curieuse Historie der Gelehrten, Lib. III. Sect. VII. Cap. X. pag. 587 - 591.* Add. *W. E. Tentzelii monatl. Vnterredungen, A. 1689. M. Ian. p. 18.* et *Gottl. Stollii Anleitung zur Historie der Gelahrheit, in Praelimin. §. 83. sqq. p. 53. s.*

a TE subigenda. Ordinis rationem, qua meditationum nostrarum seriem seruauimus, *Heptadem Librariam* diximus, dum, quae ad scopum nostrum maxime collineant momenta, septem *Capitibus* includere, et quae de *Libris*, eorumque *Scriptione*, *Lectione*, *Censione*, *Abusu*, *Fatis* atque *Poenis* Rei Litterariae Vindices in chartas passim coniecerunt, uno conspectu exhibere visum ac volupe fuit, ita, ut quidquid unquam ex necessaria Librorum tractatione utilitatis in LECTOREM redundare possit βιβλιόφιλον, hic tenui quodam gustu delibetur, et in succum quasi sanguinemque paucis vertatur.

Ante uero, quam ad ipsum institutum accedimus, *tria* nobis praemonenda esse necessum ducimus. *Primum* est, quod operae quidem in argumentis, suo loco vindicandis, non pepercimus, nec tamen votis labor respondit, praesertim, quum nonnulla ab uno Auctore hinc inde exposita fuerint momenta, quae pluribus Titulis adserenda erant. Scilicet post alios *Pagan. Gaudentium*, *Thom. Bartholinum*, atque *Guil. Saldenum* inter se conferentibus, plura sese offerunt Loca, ad certum aliquod Caput de Libris, vel scribendis, vel legendis, uel diiudicandis, et quae praeterea huc spectant, iure suo referenda, quorum tamen taedioſa repetitione supersedere, nec *Trium-Virís* hisce

sce quaelibet folia onerare, per chartae limites fas esse duximus.

Secundum est, quod nonnulla, quae uni Titulo adscribenda erant, ex multis Capitibus repetenda sint, quae ubique tamen urgere, nonnisi cum summo LECTORIS fastidio itidem liceret. Ita de *CENSIONE LIBRORVM*, maxime de Librorum Expunctione commentaturis, non ea solum quaerenda sunt, quae CAP. IV. SECT. III. hoc de argumento conlegimus, sed nonnulla etiam CAP. VII. ex doctiss. *Io. Georg. Schelhornii* Dissert. de variis Poenis, in Libros statutis, arcessenda erunt, ne alia Loca ex *I. C. Wendelero*, ceterisque attingamus. Porro ubi de *CASTRATIONE LIBRORVM* sermo est, viam pandent *Dan. Francus*, in Librorum prohibitorum Indicibus, et reliqui Indicum horum Scriptores; tum *Casp. Loescherus* de Latrociniis, in Scriptores publicos commissis, et laudatus *Schelhornius* de Poenis librorum, aliique pasim, quos tamen ex diuersis Capitibus conquirere instituti nostri ratio iubet. Pergimus ad *LIBROS SVPPRESSOS*; et hic consulere opus est, quae CAP. IV. SECT. III. ex Librorum prohibitorum Indicibus; CAP. VI. ad Fata Librorum ex *Wendelero*; CAP. VII. ad Poenas iterum ex *Schelhornio* generatim obseruauimus. *ABVSVM LIBRORVM* expliciturus, *Saldenum* CAP. I. SECT. II. *Gundlingium* atque *Geamoenum*, CAP. II.

CAP. II. SECT. I. *Dieterichum* CAP. III. SECT. II. adeat necesſum eſt, iisque addat, quos CAP. V. recenſuimus. Non dicemus, quae de *LIBRIS INCENDIO ABSVMPTIS* apud *Schelhornium*, tum in Diſſertat. de Libris rarioribus, tum in Diſſertat. de Libris combuſtis, aliosque Fatorum Litterariorum Interpretes relegenda ſunt. Nimirum non Loca adcumulare, r.) et cum puluiſculo omnia conuerrere, ſed integros *Libros*, *Diſſertationes*, *Obſervationes* et *Schediaſmata* quaedam uniuerſe exhibere animus fuit, atque Nomenclatoris partibus defungi, Scriptoribus ſummatim indicatis, ex quibus idoneum Corpus confici poſſit. Fontes itaque ipſos aperire ſatis ſit, unde quilibet poſtea in ſuas deriuet areolas, quidquid e re fuerit. Nos copias in arctum coegimus, quas in campum patentiorem deducendas, priuatae cuiusque induſtriae lubentes relinquimus. Et forte non deerit, qui hac Scriptorum ſerie, uno Volumine olim recuſa, quae et in priori Conlectione votorum noſtrorum ſumma fuit, s.)

Indicis

r.) Hinc pauca ſaltem in notis ſparſim additis, cum primis quae illuſtrandis argumentis prae ceteris inſerviant, et forte in Locis adlegatis non ab omnibus quaerantur, ſtrictim atque ὡς ἐν παρόδῳ indicabimus.

s.) Vid. *Praefatio*, priori ſupellectili praemiſſa A. 1727. 8vo et poſtmodum ſub TIT. *Speciminis I. Vindemiarum Litterariarum* eodem anno recuſa, in 4to pag. 38.

Indicis adcuratioris beneficio pia desideria explere studeat, rerumque adfinium argumenta, quae sparsim exstant, iuxta litterarum ordinem, iunctim aliquando et uno conspectu exhibeat.

Restat *tertium* monitum, quo totius instituti rationes reddemus iis, qui parcam hic messem nobis forte obiicient: Neque vero ipsi eandem negamus. Sed sciat LECTOR optimus, id quoque data opera factum a nobis fuisse. Etenim ampla adeo in augusto Rei Librariae ambitu spatia facere, et in campum vel Litterarium vel Criticum prolixe discurrere haud iuvat, sed intra exiguas aliquot paginarum lineas nos continebimus, iis saltem immoraturi, quae Capita de Libris proxime tangunt. Paucas itaque symbolas pro huius scriptionis modo nobis contulit Summus Vir *Dan. Georg. Morhofius*, qui in *Polyhist. Literar. Lib. I. Cap. XVI.* de Scriptoribus ad Rem Librariam et Historiam Litterariam pertinentibus agit quidem, partesque pro more suo egregie adimplet, sed praesentes parum auget lineas. t.) Missa nempe hoc loco facimus, quae de *Libris ineditis, MSS.* u.) *saepius recusis, posthumis*, de *desideratis circa Libros* alii submonuere. Nec porro

t.) Vide, quae diximus in adleg. *Specim. I.* pag. 6. not. a.)

u.) Conf. de his modo dictum *Specim. I.* p. 37. 38.

porro in Libros *promissos*, x.) *deperditos*, *inutiles* digauamur, et de *noxiis*, *suspectis*, *prohibitis*, *damnatis*, y.) *anonymis*, *pseudonymis*, *adespotis*, ceterisque Librorum singularium classibus altum penes nos est silentium, ne his scrutiniis a via deducti ad diuerticula prolabamur. Adeat, selectis capitibus hisce qui delectatur, *Morhofium* loco adlegato et alibi fuse disserentem, *Struvium*, *Reimmannum*, *Stollium*, Libris, proxime excitandis, passim commentantes, et *Cl. Bernardum*, ad cuius *Historiam Eruditorum* mox prouocabimus; Quibus addas, quos V. C. *Io. Georg. Schielen Bibliotheca enucleata*, pag. 377. 378. indicauit. Iisdem de caussis Cap. IV. Sect. I. ubi de Censione critica Librorum agitur, *Melanchthonis*, *Verderii*, *Gaddii*, *Magiri*, *Bailleti*, *Pope Blountii*, aliorumque vel propria vel aliunde congesta de *Scripto-*

x.) Omnes hic implet numeros V. C. *Theod. Iansson ab Almeloueen Bibliotheca promissa et latens, Goudae*, 1698. 8vo impressa, et *Accessionibus Meelfuhrerianis*, Norib. et Lips. 1699 8vo seorsim editis, locupletata. Vid. *Struvii Introduct. Cap. IIX. §. XXI. p. 754.* Add. *Io. Ad Bernhard Historie der Gelehrten, Lib. III. Sect. VII. Cap. XXIX. p. 667. seq.*

y.) De his quaedam occurrunt infra Cap. IV. Sect. II. et III. de *Censione Librorum*, Cap. VI. ubi de *Libris rarioribus*, *suppressis* aliisque agitur, et Cap. VII. de *Poenis*, sed generalia haec sunt, nec una serie comparent.

Scriptoribus Iudicia z.) non attigimus. Eadem ſtat ſententia de *Ephemeridibus*, ſ. *Diariis Eruditorum*, aa.) in quibus Galli, Itali, Angli, Belgae atque Germani noſtri per plura luſtra operam non contemnendam poſue-

z.) De his *D. G. Morhofius* in *Polyhiſt. Literar. capt. XVI.* *B. G. Struvius* in *Introd. in Notit. Rei Litterar. Cap. IIX. §. II.* *Iac. Frid. Reimmannus* im *Verſuch einer Einleitung*, Lib. I. Sect. III. §. 33. pag. 231. ſeqq. *Gottl. Stollius* in der *Anleitung zur Hiſtorie der Gelahrheit, in Praeliminar.* et alii videri poſſunt.

aa.) Legatur de his M. *Chr. Iunckeri Schediaſma Hiſtoricum de Ephemeridibus, ſ. Diariis Eruditorum, Lipſ. 1692. 12mo.* (cuius Libri plenior editio in MSC. latet; Vid. *Stollii Additamenta ad Manuductionem* pag. 5.) et *Io. Burc Menckenius* in Diſſ. de *Commentariis Hiſtoricis, quos Galli Memoires vocant. Lipſ. 1708. 4to.* Conf. *D. G. Morhofius Polyhiſt. Literar. Tom. I. Lib. I. Cap. XVI. §. 32-50. pag. 193. ſeqq* et *B. G. Struvius* in *Introd. Cap. VI.* qvo de Ephemeridibus Eruditorum ex inſtituto agit, *pag. 462. ſeqq. ed. noviſſ.* it. *C. A. Heumannus in Conſpectu Reipubl. Liter.* Cap. VI. §. V. p. 147. ſeqq. edit. ſecundae. Vide quoque *Iac. Frid Reimmanni Verſuch einer Einleitung in die Hiſtor. Literar Lib. I. Sect. III. pag. 206. ſqq.* Add. *Gottl. Stollii Anleitung zur Hiſtorie der Gelahrheit in Praelimin. §. 38 p. 18. ſq. edit. noviſſ.* Add. M. *Conſt. Wolfii Photius, Ephemeridum Eruditorum inuentor. Vitemb. 1689. 4to.* Pleniorem horum Scriptorum Indicem vide adornatum in Tract. vernac. *Nachricht von denen heute zu Tage grand-mode gewordenen Iournal-Quartal- und Annual-Schriften.* Leipzig, 1715. 8vo.

posuere, et in excerpendis pariter ac diiudicandis scriptis multum otii aliis in hunc usque diem fecerunt; bb.) quorum vero recensione in praesenti foro supersedemus. Scilicet, quod ex veteri prouerbio *Plinius* iubet, cc.) *non multa, sed multum legere*

** Hospi-

8vo. secundae editionis; Cuius tertia editio sub Tit. *Curieuse Nachricht*, addito Auctoris nomine *M. P. H.* quod *Marcum Paulum Huhold* indicat, prostat Freiburgi, 1716. 8vo; et quarta vice Ienae, 1717. 8vo. Auctoris nomine expresso, auctior prodiit. Huic scripto adde *H. P. L. M. Gründliche Nachricht von den Frantzösischen, Lateinischen und Deutschen Iournalen, Ephemeridibus, Monatlichen Extracten.* Leipzig und Gardelegen, 1718. 8vo. *Die Continuation der gründlichen Nachricht.* ibid. 1720. 8vo. *Die andere Continuation.* ib. 1724. 8vo. Notitiam *Ephemeridum s. Diariorum Eruditorum Italiae* vide in Cl. *Io. Alb. Fabricii Conspectu Thesauri Litterarii Italiae p. 1-10.*

bb.) Quid de *Ephemeridibus* sentiendum sit, vide in dem *Vnpartheiis. Bibliothecario, X. Theil, N. CLXXI. pag. 848-852.* Add. *M. Polycarpi Lyseri Animaduersiones Criticae in Ephemeridum Literatarum, in primis hodiernarum, methodum.* Resp. Marc. Paul. Huhold, Quedl. *Vitemb. 1716. 4to.* et *D. Ern. Io. Frid. Mantzelii* Dissert. *de Eo, quod iustum est circa Ephemerides Literarias concinnandas; Was bei Ausfertigung eines Iournals in acht zu nehmen. Rostoch. 1722. 4to.* Ceterum hisce compendiis omnes doctrinae numeros non absolui, nec in iis unice adquiescendum esse, supra monuimus. Conf. Not. k.)

cc.) in *Epp. Lib. VII. Epist. IX.* Conf. *Seneca de Tranquillit. animi, Cap. IX. p. m. 157.* sub fin. Idem

ex

Hoſpitem noſtrum volumus, ne ſtomacho faſtidium excitetur. dd.) Atque ex his quidem rationibus ferenda de conatu hoc qualicunque aliorum iudicia praeſtolamur.

His expeditis, nequaquam praetermittenda eſt grata illorum recordatio, per quos profecimus. Fontes fere iidem ſunt, quos in *priori Praefatione ſ. Specimine I. Vindemiarum* indicauimus, hic tamen ſigillatim nominandi. Et facit quidem aliquam hic paginam celeberrimus Ienenſium Polyhiſtor, *Burc. Gotthelf Struuius* in *Introduct. in Notit. Rei Litterar.* cum primis Cap. V. §. XXI. et Cap. IIX. §. I. ee.) Neque indicti hic nobis abibunt

ex *Seneca* monet *Laur. le Brun Inſtit. Chriſt. inuent. Part. II. Cap. IV. pag. 100. ſeqq.* ubi fuſius haec exponit. Ceterum diffuſam nimis Librorum lectionem *Seneca* ſtudioſam luxuriam adpellauit. Conf. *Bohusl. Balbinus* in *Veriſimil. hum. diſcipl. Cap. IV. pag. 38.* Add. *I. F. Reimmanni Verſuch einer Einleitung, Lib. I. Sect. III. §. 4. p. 194.*

dd.) Egregie hunc in finem *Seneca* diſſerit *Epiſt. II.* ubi *faſtidientis ſtomachi eſſe* iudicat, *multa deguſtare, quae, ubi varia ſint et diuerſa, inquinent, non alant.* Add. *Eiusd. Epiſt. XLV.* Gemina his ſunt, quae *Ariſtippus* apud *Laërtium de Vitis Philoſophorum, Lib. II. pag. 135.* edit. Caſaub. ait: Ὥσπερ οὐχ οἱ τὰ πλεῖστα ἐσθίοντες καὶ γυμναζόμενοι ὑγιαίνουσι μᾶλλον ἢ τῶν τὰ δέοντα προσφερομένων, οὕτως οὐχ οἱ πολλὰ, ἀλλ' οἱ χρήσιμα ἀναγινώσκοντες, εἰσὶ σπουδαῖοι.

abibunt illustres Litterariae Rei in Germania Vindices, *Christoph. August. Heumannus* et *Iac. Frid. Reimmannus*, quorum Ille in *Conspectu Reipublicae Litterariae*, Cap. VI. pag. 142-184. ed. secund. Hanou. 1726. 8vo. de notitia Librorum ex Re Literaria erudite egit; Hic in *Idea Systematis Antiquitatis Literariae*, Parte III. Sect. IV. pag. 224. seqq. et alibi passim, quidquid ad Historiam Librorum spectat, ex omni Antiquitate sollicite eruit. Nec postremum hic fert punctum idem *Reimmannus im Versuch einer Einleitung in die Historiam Literariam, so wohl ins gemein, als auch der Teutschen insonderheit*, Lib. I. Sect. III. §. 27--30. p. 218--224: ne de *Mart. Lipenii* farragine, quae in Eiusdem *Bibliotheca Philosophica*, pag. 814. seq. prostat, dicamus. Plenior est adparatus *Io.*

δαῖοι. Conf. cum his *Erasmum Roterodamum in Epp. Lib. X. Ep. 2. pag. 508. seqq.* edit. Lond. 1642. fol. Adde de eodem argumento *Chr. Thomasium in den freimüthigen Gedancken über allerhand Bücher. Hal. 1689. 8vo. pag. 1155. 1156.* Conf. supr. not. h.)

ee.) Iuuat propter iteratas saepius *Libri huius* praestantissimi Editiones, ad *Capita* et *Paragraphos* plerumque prouocare, *Analectis Colerianis* vero ubi locum habent, una cum *Supplementis Struvianis* et *Adnotationibus Lilienthalii* paginas ex edit. recentissima A. 1729. 8vo. adiicere. Sic in adlegationibus *Polyhistoris Morhofiani* eiusque numeris ad editionem Lubecensem A. 1708 4to. Lectorem ablegamus; in *Stolliana Manuductione* vero editionem secundam, Ien. 1727. 4to. excusam, sequimur.

Ad. Bernhardi in der *Kurtz gefaſten curieuſen Hiſtorie der Gelehrten*, ff.) Lib. III. Sect. IV. Cap. III. pag. 347. it. Sect. V. Cap. XIV. pag. 450. et alibi paſſim. Cum primis autem Sect. VII. Cap. XXVI - XLII. pag. 650 - 718. ubi, quae ad Hiſtoriam Librorum faciunt momenta, praecipua complexus eſt, ſuis Locis a nobis ex parte indicata. Nec minus praeſens inſtitutum iuuant curae doctisſimae magni illius Polyhiſtoris, *Gottlob Stollii*, in Libro vernaculo: *Anleitung zur Hiſtorie der Gelahrheit*, gg.) in Praeliminaribus, §§. XCVI. pag. 1-61. Poſt hos nonnulla ex *Ephemeridibus Litterariis* hinc inde inſperſimus, in quarum numero primum ab *Actis Eruditorum Lipſienſibus* locum tribuimus *Auctori der Vergnügung müsſiger Stunden*, hh.) qui Parte XII. Obſeru. I. ſub Titulo: *Vermiſchte Gedancken von denen Büchern und deren Liebhabern*, pag. 3-21. cum primis pag. 13. 14. de Libris copioſe commenta-

ff.) De hoc Libro vide *Gottl. Stollius* lib. cit. in Praelim. §. LIX. pag. 32.

gg.) Summa capita huius Libri vide in den *Deutſchen Actis Eruditorum*, 56 Theil, Num. IV. pag. 571-580.

hh.) Eſt ille *Theod. Cruſius*, ex editione Actorum Sarcmaſianorum, A. 1708. (vid. Struu. Introd. Cap. IIX. §. XV. not. a. pag. 738.) et nuperrima Miſcellaneo-Sileſiacorum continuatione, (Vid. A. E. A. 1728. Menſ. Septembr. pag. 408. ſq.) famam adſequutus. Initium vero harum, quas volumus, Ephemeridum factum eſt A. 1713. 8vo.

mentatur; quibus adde *Supplementa ibid. Obſeru. II. pag.* 24. Hunc excipiunt Scriptores *Nouorum Literariorum Maris Balthici et Septentrionis* ii.) aeque *ac Germaniae*; kk.) Conlectores item *der Neuen Bibliothec*, ll.) *des Neuen Bücher-Saals*, mm.) *der Gelehrten Famae*, nn.) et *Obſeruationum Miſcellanearum*, oo.) aliique nonnulli, ſuo loco adlegati. In ſubſidium quoque poſt *Eraſmum Roterodamum* vocauimus *Rolandum Mareſium*, in cuius *Epiſtolis Philologicis*, a V. C. Ad. Rechenbergio, poſt ultimam editionem

ii.) Haec Eruditis Lubecenſibus, cum primis *Iac. a Melle*, Theologo, et *Achilli Danieli Leopoldo*, ICto, debemus, ab A. 1698 - 1708. 4to. Conf. *B. G. Struvius in Introduct. Cap. VI. §. XXII. p. 513.*

kk.) Illa auſpiciis *Petri Ambroſii Lehmanni* et *Godofredi Strasbergii* Hamburgi prodierunt ab A. 1703 - 1709. Leoburgi ad Albim litteris exſcripta, in 4to. Vid. *Struvius l. c. §. XXIII.*

ll.) Noua Bibliotheca ſub moderamine *Guil. Turckii*, *Hieron. Gudii*, *Nic. Hieron. Gundlingii*, *Io. Ias. Schmauſii* aliorumque A. 1709. et ſeqq. in 8vo. Halae lucem adſpexit.

mm.) Diarii huius origo V. C. *Io. Georg. Walchio* adſcribitur, (vid. *Neuer Schauplatz der gelehrten Welt, 7 Theil, pag. 613. in not.*) qui priores XLIIX. Partes, (quas Oeffnungen vocat,) adornauit, A. 1710. laboris initio facto et Lipſiae excuſo in 8vo.

nn.) Initium huius Diarii fecit M. *Kloſius*, Lipſ. A. 1711. 8vo.

oo.) Hae Auctorem agnoſcunt M. *Io. Chriſt. Kochium*, qui A. 1712. Lipſiae, in 8vo. primos huius inſtituti conatus edidit, et triginta ſex Partibus, quae III. Tomos conſtituunt, A. 1717. abſoluit.

Parisiensem repetitis, pp.) multa a scopo praesenti non aliena deprehendimus: His vero testam, plus ignis petendi gratia, aliis tradere voluimus, ansamque suppeditare, ex inexhausto illo commercii litterarii thesauro plura per otium depromendi, atque in hac etiam eruditionis epistolicae parte multorum petitis ex voto satisfaciendi. qq.) Conferri porro

pp.) Prodierunt hae Epistolae *primum* Parisiis A. 1650. 12mo. Auctiores *postea* editae ibid. A. 1655. 8vo. Recusae *tandem* sunt curis *Ad. Rechenbergii*, Lipsiae 1687. 12mo. De pretio harum Epistolarum vide *D. G. Morhofium* in *Polyhist. Liter.* T. I. Lib. I. Cap. XXIII. §. 10. p. 297. s. differentem; quod iudicium Idem repetit in Libello de *Ratione conscribendarum Epistolarum*, Lib. I. Cap. II. pag. 48. editionis, a V. Cl. *Io. Burc. Maio*, Praeceptore ἀειμνήστῳ, Lubecae, 1716. 8vo. curatae. Conf. quoque *B. G. Struvius* in Introduct. Cap. IIX. § XXIII. pag. 771.

qq.) Adparatum insignem doctrinae elegantioris, ex *Epistolarum Voluminibus* hauriendum, multi recte docuerunt. Legatur hic cum primis *AD. RECHENBERGII Dissert. de Vsu Epistolarum Clarorum et Illustrium Virorum*, Lipsiae habita, et recusa postmodum in *EIVSD. Volumine Exercitt. in N. T. et H. E. pag. 425-486. IO. FRANC. BVDDEI Dissert. Praeliminaris*, Supplemento Epistolarum Mart. Lutheri (Halae, 1703. 4to. edito, et sub nouo Titulo A. 1717. ibidem recuso) praemissa, in qua *de aucta insigniter, per recentissimas quasdam Epistolarum Collectiones, Re Litteraria et Ecclesiastica*, copiose agit. Conf. *Struvii Introd. Cap. IIX. §. XXIII.* p. 770. et 778. Quibus nuper accessit

porro in hoc doctrinae litterariae foro possunt, qui de *Bibliothecis* scripsere, quorum in *priori Parte*, seu *Specimine I. Vindemiar. nostrar. Litterar.* ante triennium haud exiguam forte messem institutam esse, Lectorem nostrum reminisci velimus. Plura non deerunt Cl. *Mich. Lilienthalium* in *Selectis Historicis et Literariis*, rr.) aliosque consulturis.

Seriem hanc Scriptorum, uniuerse adductorum, continuare facillimum foret, quum oppido plures scenam hanc amplissimam ornare possent Scriptores: Sed per breuitatis, ut diximus, studium ab ulterioriori tramite auo-

 camur,

cessit *IO. HENR. A SEELEN Praefatio*, Philocaliae Epistolicae praemissa. Add. etiam *Heumannum* lib. cit. Cap. VII. § XXIV. sq. pag. 216. sqq. Atque id causae fuit Viro eruditissimo *D. IO. LVDOV. HANNEMANNO*, Philosopho quondam Kilonienſi, Praeceptori optime merito, ut *Polymathiam uniuersalem, ex Epistolis eruendam*, meditaretur; quemadmodum *Noua Literaria Maris Balth. et Septentr. A. 1698. M. Martio, pag. 41.* in Indice *Adfectorum Hannemannianorum* nos docent; quos tamen conatus B. Viri fata interruperunt.

rr.) Prodierunt illa Regiomonti et Lipsiae, A. 1715. 8vo. et recensentur in den *aufrichtigen und unpartheiischen Gedancken über die Iournale*, Tom. II. Part. XIV. pag. 130. sqq. Vide quoque summa capita in *Actis Erud. Lipſ.* A. 1716. Mens. Ianuario, pag. 45. sq. *Continuatio* horum *Selectorum* prodiit ibid. A. 1719. 8vo. quorum conspectum exhibent *Acta Erud. Lipſ.* A. 1719. M. Iunio, p. 270.-

camur, et chartae leges exorbitantem forte calamum tandem aliquando in ordinem redigere iubent. Aliis itaque ad tentandas ingenii vires et prouehenda in maius meliusque cumprimis Rei Librariae momenta praeeamus, et aleae, prout iacta est, sortem nunc experiamur.

CAPVT I.

DE LIBRIS VNIVERSE.

Sidonius Apollinaris, Lib. VII. Epist. XIIX.

Ita mens patet in Libro, veluti vultus in speculo.

SECTIO. I.

ANTIQVARIA.

I. D. IO. ESBERGII Exercit. Acad. de Libris Veterum. Vpsal. 1701. 4to.
Vid. *Noua Literar. Mar. Balth. A. 1701. Mens. Aug. pag. 240.*

II. CHR. SAALBACHII Schediasma de Libris Veterum. Gryphisw. 1705. 4to.
Summa capita huius Disp. vide in *Nouis Literar. Mar. Balth. A. 1706. M. Maio, pag. 140.* et plenius in *Iac. Frid. Reimmanni Idea System. Antiquit. Literar. pag. 229-235.* ubi sub finem nonnulla in hac Dissertatione notantur.

III.

III. IAC. IACOBAEI Disfert. Philol. Crit. P. I. de Materia et Forma Librorum apud Veteres, ante inuentam artem Typographicam, ex occasione eorum, qui in N. Test. occurrunt. Hafn. 1706. 4to.

Contenta huius Disp. recensent *Noua Literar. Mar Balth. A. 1706. M. Nouembr. pag. 350. 351.*

IV. 1. CHR. GOTTL. SCHWARTZII Exercit. de varia supellectile Rei Libr. Veterum. Altdorf. 1725. 4to c. fig. aen.

2. EIVSDEM χέδιον φιλολογικὸν de Libris plicatilibus Veterum. Altdorf. 1717. 4to.

NB. Adde de *Diptychis* non longe post plura.

3. EIVSDEM Disfertationes IV. de Ornamentis Librorum apud Veteres usitatis. Lipf. 1705. 1706. Altdorf. 1711. 1716. 4to.

Summa capita *Disput. I.* repetuntur in *Nouis Literar. German. A. 1705. Mens. Iunio, pag. 255.* Contenta *Disput. II.* lege in iisdem *Nouis Literar. German. A. 1707. M. Ianuar. pag. 24. seq.* Conspectum *Disput. III.* vide in der *Gelehrten Fama; 4 Theil, pag. 223. 224.* De *Disput. IV.* vid. *ibid. 56. Theil, pag. 606. 607.* Fusius vero tres priores Disfertationes excerpsit *Iac. Frid. Reimmannus* in *Idea System. Antiquit. Literar. pag. 235 - 265.*

V. ANDR. CHR. ESCHENBACHII Disfert. de Scribis veterum Romanorum. Ien. 1687. 4to.

Recusa haec est et inserta tum *EIVSD. Dissertt. Academ. iunctim editis, Norib. 1705. 8vo. Num. V. pag. 257. sqq.* tum *Fascic. Dissertt. Roterod. Parte II. pag. 253. sqq.* Spectat haec Dissertatio ad Antiquitates Rei Librariae et Bibliothecariae, iudice *Colero* in *Analectis ad Struuium, Cap. II. §. V. not. pag. 150.* Summa capita huius Dissertat. exhibet *I. F. Reimmannus in Idea System. Antiquit. Literar. pag. 55. 56.*

VI. CHR. SCHOETTGENII Disput. de Librariis et Bibliopolis Antiquorum. Lipsiae 1710. 4to.

Auctior secunda vice vernaculo sermone edita sub Tit. Historie der Buchhändler, wie solche in alten und mittlern Zeiten gewesen. Accedit *Frid. Roth-Scholtzii* Specimen Historiae Bibliopolarum veteris atque recentioris aevi: Kurtze Nachricht von der Tauberischen Buchhandlung in Nürnberg und Altdorf, von 1639-1722. als eine Probe aus dem kurtzen Versuch zur alten und neuen Buchhändler-Historie. Nürnberg 1722. 4to. Vid. de hoc Scripto *Colerus*, loc. adleg. Contenta huius scripti recenset *I. F. Reimmannus* in *Idea System. Antiquit. Literar. pag. 60.* Occasione secundae editionis *summa capita* huius Disert. exhibentur in *Actis Erudit. Lipsiae Supplement. Tom. IIX. Sect. XI. pag. 508. sqq.* Ceterum labor hic a Viris Clarissimis Io. Alberto Fabricio, C. A. Heumanno, Chr. Falstero et Chr. Gottl. Ioechero passim laudatur. Vid. Cl. *Schoetgenii Praefatio*, secundae editioni praemissa. Ante annos aliquot quidam *Io. Werther* Rostochii nonnulla opponere voluit Cl. Schoettgenio. Vid. *Leipziger neue Zeitungen von gelehrten Sachen A. 1718. No. LXIX. pag. 547.* Sed hos obscuri hominis conatus in hunc usque diem frustra exspectauimus. Conf. *Schoettgenii Praefatio l. c.*

VII.

VII. BERNARDI DE MONTFAVCON Palaeographia Graeca. Paris. 1708. fol.

In hoc opere, ad rite dignoscendos Codices MSS. et facilem illorum lectionem, doctiss. *Auctor*, quidquid ad *veterum Graecorum Scripturam*, *Instrumenta*, *Chartas*, *Libros*, *Atramenta*, *Codicum picturas et his adfinia* spectat, in *primo* praesertim *Libro* ex omni Antiquitate erudite explicat. *Primas lineas* praestantissimi huius laboris vide, si placet, in *Actis Erudit. Lipsi. A. 1707. M. Septembr. pag. 424. sqq.* *Summa capita* vero totius instituti fusius exponunt eadem *Acta Erud. in Supplementis*, *Tomo IV. Sect. IX. pag. 374 - 391.* Vid. quoque Conspectum huius Libri in dem *Ausführlichen Bericht von allerhand neuen Büchern*, *V. Stück*, *Num. I. p. 425 - 438.* Vid. quoque Conspectum huius Libri in dem *ausführlichen Bericht von allerhand neuen Büchern*, *V. Stück*, *Num. I. pag. 425 - 478.* Sigillatim, quae primis quatuor capitibus tractantur, in compendium misit laudatus *Reimmannus in Idea System. Antiquit. Literar. pag. 225 - 229.* Conf. ibid. pag. 54. ss.)

IIX.

